



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 42. Litteræ Apostolicæ: Gloriosam Ecclesiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV.
A C. 1318.

tores sibi præfecerunt: suscipiunt tiro-
nes: deligunt verbi divini præcones, ac
pœnitentiæ ministros, quos ad ob-
eunda ipsorum munera mittunt: nova
erigunt cœnobia: & ut per religionis
speciem sibi auctoritatem colligant, ve-
stes arctas, breves, obsoletas & ridiculas
parvis cum capitiis assumpserunt, has con-
gruere cum regula S. Francisci, & hujus
Ordinem in se solis consistere perhi-
bentes. Ex schismate autem in hære-
sim lapsi errores disseminant. Inquiunt
enim I: Duæ sunt Ecclesiæ: mollem al-
teram, opibus affluentem, deliciis im-
mersam, criminibus inquinatam Papæ
cæterique Præsules gubernant: altera est
spiritualis, ornata virtutibus, frugalis,
pauper: hæc constat ex nobis atque no-
stris sectatoribus: hanc nos regimus tan-
quam maxime spirituales. II. Sacerdo-
tes ac reliqui Ecclesiæ Ministri nullam
habent facultatem ferendi sententias,
administrandi Sacramenta, vel docendi
populos: potestas ecclesiastica in nobis
solis residet. III. Jurare nullo in casu
licet: est peccatum letale. IV. Sacer-
dotes quanquam legitime inaugurati per
crimen amittunt potestatem consecran-
di & conferendi Sacramenta. V. No-
stra ætate ac in nobis solis impletum est
Christi Evangelium: antehac abscondi-
tum erat, aut extinctum potius.

Omnes

Omnes hos errores summatim confutat Papa, per eos renovari antiquas hæreses demonstrans: tum addit: Feruntur multas alias ineptias contra Sacramentum matrimonii, de fine mundi, & adventu Antichristi quasi propinquo effundere. At cum illæ propositiones nec ratione, nec autoritate nitantur, ex se ipsis concidunt, nec merentur refelli: sufficit eas condemnare. Itaque ut hi miseri ad bonam redeant frugem, aut saltem ne corrumpant alios, rogatus a nobis Siciliae Rex Fridericus iussit expulsos hac ex insula ad Præsides Ordinis remitti. Sed rebelles subduxit fuga: quibusdam latibulum præbuit Sicilia: aliis inter ethnicos dispersis promulgandæ iisdem fidei nomen serviit. Quapropter præcipimus, & vos omnes hortamur, ut ne Henricum Sebensem, aut alios falsos Fratres perfugio Siciliae usos ope, consilio, aut favore ullo dignemini; sed contra, ut captos Præsilibus Ordinis Minorum remittatis pro suis meritis puniendos. Dabat 23 Jan. 1318.

Sæcul. XIV.

A.C. 1318.

§. XLIII.

Fratres Minores Massiliæ combusti.

Ordinis Minister Generalis Michaël Cæsenas diploma: *Quorundam exigit executione daturus obsistentes sibi potissimum*